

✓ 1384 // 33  
1384 259

COLENDISSIMO ECCLESIAE PRINCIPI,  
EXCELLENTISSIMO,  
AC  
REVERENDISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
LAURENTIO DE LANCASTRO,  
REGIÆ MAJESTATIS A CONSILIIS,  
AMABILISSIMO ELVENSIS  
DIOECESIS EPISCOPO,  
ELECTO NUNC  
AD LEIRIENSEM ECCLESIAM PRÆSULI,  
POST ANNULI OSCULUM  
GRATULATUR MINIMUS CLIENS  
P. EMMANUEL PEREIRA REGO.

QUOD juvat, & fas est; absenti gratulor absens:  
Addatur culpis ne nova culpa meis.  
Præful es; atque alia Præful veneraberis urbe;  
Cui bonus, & prudens optima jura dabis.  
Non satis æqua tuis meritis est una tiara:  
Grexque tuæ curæ non satis unus erat.  
Hinc semel, ac iterum Tibi dat sua præmia Roma:  
Teque bis exornat Præfulis altus apex.  
Sed Deus omnipotens in Te si nostra secundet  
Vota, Tibi meritus si quoque detur honor,  
Te Regum Sobolem rubro teget orbe galerus:  
Atque tuum cinget trina tiara caput.  
Dignus es, ut Petri sedeas in sede suprema;  
Postque Pium Sextum ter pius Ipse regas.  
Præmia digna dabit Tibi sic Roma inclyta: & ultrà  
Nil, quod eam poscas, quod dare possit, erit.  
Oh quam virtutum nos læta ad pascua duces!  
Tartareus rabido quam fremet ore leo!

Ad

Ad baculi nutum nimis horridus ille timebit:

Rugiet impatiens: sed feret aura sonos.

Pabula mandet ovis, mala quin ferus inferat hostis:

Liber ab insidiis quilibet agnus erit.

Hæc, precor, eveniant: precor, hæc fors aurea firmet:

Nestoris & felix sit Tibi vita, salus.

EXCELENTISSIMO,  
AC  
REVERENDISSIMO DOMINO

EPIGRAMMA.

**F**ulsit in Elvensi tua jam prudentia tractu:  
Et tua ditavit Regia dextrâ gregem.  
Nunc fas est, alias locupletet dextera gentes:  
Atque aliis Præful des documenta viris.  
Sic postquam multo ditat nos lumine Titan,  
Lumina diversis dat sua clara plagis.

EXCELENTISSIMO,  
AC  
REVERENDISSIMO PRÆSULE  
ABEUNTE,  
AD ELVENSES CIVES  
CARMEN.

**E**Loquar? an sileam? dolor hoc, amor imperat illud:  
Eloquar; atque dolor cedat nunc victus amori.  
Flebilibus nimium suspiria mixta querelis  
Elvenses fundant Cives: dolor intimus illos  
Urgeat; internum fateantur & ora dolorem.  
Inde notent templo, vario quod marmore fulget,  
Digna Cedro, digna ære notari emblemate multo  
Præfulis acta sui, & mansurum in sæcula nomen.  
Errorum grande exitium, morumque magister,

Chri-

Christiadum columen, totius terror Averni,  
 Leiriæ ad celebres properat Laurentius oras  
 Docturus pueros alios, aliosque clientes  
 Prima rudimenta, & Divinæ dogmata legis.  
 Magnus Atlas Fidei nostræ nunc Ille secundum  
 Fert vigilis Pastoris onus: neque pondere primo  
 Flectitur: at recipit vires à pondere: & omni  
 Orbe animus Sibi major ineſt: constantia major.  
 Ille quidem innumeræ Christi ad præsepio ducet  
 Pastor oves: & mille humeris, colloque reponet.  
 Innumeræ etiam cœlesti Chrismate gentes  
 Firmabit, moresque dabit, melioraque tradet  
 Jura, catenatoque gemet pessundata collo  
 Vana superstitione: Fidei documenta sonabunt  
 Per templa, & plateas, per & oppida cuncta: recedent  
 Errorum densæ, posita caligine, nubes.  
 Fraus, furor, ira, Venus, vitiorumque agmina fœda  
 Adstrictis nodis tenebroſi in carceris umbra  
 Triste canent carmen: ponent pharetrata venenum  
 Tela, Cupidineo semper manantia succo.  
 Posthabito cœli rutilantis pondere, folūm  
 Invidet huic Atlas oneri: licet ille finistrum,  
 Vel dextrum mutare latus confuescat, & ipso  
 Pressus ab orbe gemat, non Te, Lancastre, gravabit  
 Illud onus: validum poterit neque flectere collum.  
 Non gemitum, aut lacrymas fundis: sed amantia pandis  
 Brachia, Tartareas debellatura phalanges.  
 Tota tuis humeris non est par machina mundi.  
 Vive diu, o Lysiae magnum decus: h̄ic ego dulcem  
 Invitus suspendo chelim: Te fida clientum  
 Turba colat, mare laudet, amet polus, orbis adoret.

